



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

Pars 6. de utilitate Meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

emendes. Deinde ex eadem quædam puncta decerpe: qui benè & lautè pransus est vacuo stomacho à mensa non recedit, sed satis habet plerumque quod toto digerat die, cujus per totum itidem diem palato gustus inhæreat. Denique operi mancipa quæ Deo grata & ad profectum tuum utilia concepisti faciendaque proposuisti: *Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, monet Psalter: odit is nuda promissa aut sola verba, amat facta & opera.

P A R S V I .

De Utilitate Meditationis.

EA hominis natura est, ut nihil propemodum agat, nisi quod lucrum vel commodum secum trahat, ideoque Jobo dicti *Sicut mercenarii dies ejus* cumque usum Meditationis, post traditam ejus præxin, nunc suadere intendam, aliunde efficaciora argumenta eruere non potero, quàm ab Utilitate quam ille animæ communicet & in eam invehat.

Generat namque **P R I M Ò** *Notitiam sui*, quam *lectionem utilissimam* scribit Thomas de Kempis. *Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio.* Ejusque Magist. Gerard. Zutphaniensis *instituta salutis* intitulat: Hanc autem subministrat *Meditatio* inquit, S. Bernardus discrimen assignat eam inter & orationem, *docet quid desit, oratio ne desit obtinet.* Est namque speculum animæ, in quo se ipsam videat, sua vitia & defectus, suas passiones & imperfectiones, quibus virtutibus ornata esse debeat & quàm longè etiamnum ab iis absit, quid pro salute

c. 7. v. 1.
E c. 14.
v. 6.

1. Imit. 2.

de Reform. vi-
rium ani-
ma. c. 4.
serm. 1. de
S. Andrea.

te debeat & quàm parum præstet. *Ego vir videns Thren. 3. 11*
paupertatem meam, dicebat aliquis usus hoc speculo.

„ Nihil est quod quisque sic cogitare debeat (urget S. *Serm. 12.*
de Verbis

„ Augustinus) nisi ut in semetipsum oculos con-
 „ vertat, in se discat, se inspiciat, se discutiatur, se quæ-
 „ rat, & se inveniat, & quod displicet necet, & quod *Domini.*

„ placet appetet & plantet. Quod & alibi ad propo- *L. 10. de*
 „ tam sibi à se quæstionem: *ut quid præceptum est Trinit.*
 „ animæ ut seipsam cognoscat? Respondens, incul- *6. 5.*

„ cat: „ Credo ut se cogitet, & secundùm naturam
 „ suam vivat, id est, secundùm naturam suam ordi-
 „ nari appetat, sub eo scilicet cui subdenda est, supra
 „ ea quibus præponenda est: sub illo à quo regi de-
 „ bet, supra ea quæ regere debet.

Est quidem via duplex ad *Notitiam sui*, una si tua
 tibi vitia dicantur ab aliis, altera si eadem in teip-
 sa scrutaris: sed prima absque secundâ parum aut ni-
 hil proderit, quia imaginaberis tibi insinuationem
 aut reprehensionem ex sinistro affectu proficisci, qui
 etiam optima quæque in sequiorem partem detor-
 quet: quâ exceptione suos plerumque defectus pal-
 liant quæ licet admonitæ sæpiùs à suis superioribus
 iis infordescunt & indurescunt. At si jungantur,
 erit una alterius testis, ut vera esse non dubites, quæ
 audis ab aliis: & in te quasi oculis propriis contueris.
 Vultis itaque cognoscere statum animæ vestræ? fa-
 miliaris sit vobis Meditationis usus, eum illa vos op-
 timè docebit proditrix minimè fallax nec palpo
 blandiens.

SECUNDÒ parit *vitiorum odium & fugam pec-*
catorum. „ Primùm quidem ipsum fontem suum,
 „ id est, mentem, de qua oritur, purificat conside-
 „ ratio,

L. de
Confid.
c. 7.

ratio. (habet D. Bernardus) deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert: hæc est quæ confusa disternat, hiantia cogit, sparsa colligit: hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum aut correctione egens. Hactenus calum mellifluus. „ Cui tam pio tamque utili otio, (ait

c. 8.

idem alibi) nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est? Desideras itaque vitiorum tuorum excidium? & desiderare debes, Meditationi in-

Can. 4. 4.

cumbe: Hæc namque est illa *turris David*, quæ edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Propugnacula hostium incursibus opponuntur, tutanturque oppidum vel arcem: à peccatis (hæc namque hostes tui sunt, qui te spoliant Dei gratiâ, merita in te disperdunt, captivam dæmoni subjiciunt) ab his, inquam, vis tutam animæ tuæ Arcem? in Meditatione objice propugnacula: ibi etenim contra peccata munitur anima, nam quæ cogitat eorum turpitudinem, Dei prohibitionem, &c. statim eorum horrorem concipit cum proposito nunquam ea admittendi: felix itaque civitas quæ tempore pacis de bello cogitat: at quæ caret hisce propugnaculis, patet ea hostibus: *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, dicitur in Threnis: idque ideo: quia *Dominus dissipavit munitiones ejus, & præcipitavit omnia mœnia ejus*.

c. 1. v. 10.

c. 2. v. 5.

Clypeis excipiuntur tela vel ictus hostiles, dum cominus pugnatur, ne lædant. Aggreditur te hostis cominùs, dum ad peccata sollicitaris, dum blanditur

caro,

caro, concupiscentia allicit, &c. Vis autem manere illæsa? clypeum objicias necesse est, qui in Meditatione fabricatur: *Mille clypei pendent ex ea* siquidem ibi consideras, qualem, ne prævaleant, te in tentationibus exhibere debeas. Est & ibidem *omnis armatura fortium*, quâ & ipsa hostes, tua nempe vitia, aggrediaris: etenim suggerit tibi Meditatio, quâ ratione ea excindenda, passiones supprimendæ, & imperfectiones abolendæ sint: teque ad hæc armat & instigat, *omnis in eâ armatura fortium*: fortis sit necesse est, quæ in omnibus seipsam superabit seque subjiciet sibi. At quàm hæ raræ, etiam inter vos! quas vidi sæpiùs pugnantes pro hostibus, quàm eos oppugnantes, tum scil. cùm sequeremini ductum vitiatæ naturæ, passionibus obediretis, rationibus non cederetis, fortes non pro virtutibus sed contra eas, milites non Dei sed sensus vestri. At unde hoc? nonne quia animum tibi non addis, teque contra vitia tua irritas, & in eorum excidium conjuras? in Meditatione fit hæc conjuratio, & quia illa tibi non familiaris, hinc adeo existis imbellis.

Ex Filiis Israel de Ægypto eductis & in terram promissionis armatâ manu ingressuris Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse mansit trans Jordanem, ut pascerent pecora sua quæ multa habebant, volentes esse de Israël nec tamen ingredi terram promissionis: tales multæ Virgines, quæ quidem numero Virginum volunt accenseri, sed ad virtutum exercitia perfectè se non conferunt & laxam ac tepidam vitam ducentes pascunt gregem pecorum suorum, id est, passionum & vitiorum. Ulteriùs vobis progrediendum Virgines, occupanda vobis animæ

Num. 32.
& Josue
13.

vestræ terra, hostes ex ea ejiciendi sunt & jugulandi. Defunt tibi arma? Meditationis Armarium ingredi, ubi est *omnis armatura fortium*. Deest tibi animus? teipsam ibi finito irritari. „ Subdat sibi, quod „ habet commune cum bestiis, subdat Deo quod „ habet commune cum Angelis, donec justitiâ & im- „ mortalitate perfectâ atque perceptâ ab istis exalte- „ tur, & illis adæquetur. Ex S. Augustino: Audi „ monitum Ecclesiastici: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere: si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis*. Notum tibi, quàm grave haberi ludibrio, & ne quis habeatur, quæ non tentet? patuit id in Samfone, eum æmulare, quò & vitia, tui adversarii, tui hostes, exstinguantur, moriari tibi.

TERTIÒ denique. *Amorem virtutis* instillat: *in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*, ait de justo Psalmographus: ideoque *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod dabit fructum suum in tempore suo*. Quis autem hic fructus, nisi actus virtutum & opera bona? hos *dabit in tempore suo*, datâ scilicet occasione, non enim omni tempore quælibet exercenda virtus, sed datâ occasione, patientia nempe in adversis, mansuetudo in iracundia, &c. hanc verò fecunditatem concipit, ex eo quod Legem Domini meditetur, quæ virtutes præscribit & docet. Quod & alibi repetit: *Os Justi meditabitur sapientiam: et fructus hujus Meditationis: Lingua ejus loquetur iudicium, lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus*. Dirigitur namque ad bonum intus & extra. In puncto primo Meditationem speculum-

L. 2. cont.

Faust. c.

28.

c. 18. vs.

30. & 31.

Jud. 16.

Ps. 1: 2.

& 3.

Ps. 36:

30. & 31.

culum dicebam, & ut illud exhibet quicquid ei ob-
jicitur si homo hominem, si manus manum, ita &
hæc animæ imprimet quicquid ei per illam repræsen-
tatur: Deus is est? vel cœli gaudium aut aliqua vir-
tus? hujus amorem & desiderium generabit, ut tur-
pia objecta turpes motus & illicita desideria pro-
ritant.

Et hæc tria commoda sunt quæ animæ com-
municat meditatio, vera *mentis ditatio*, in quibus
Vocationis vestræ finis consistit, qui est animæ ve-
stræ Status notitia ad extirpandum quod in ea luxu-
riat, & inferendum quo caret, quò fitis sanctæ
animo & corpore. Ad Meditationem frequentan-
dam hæc vos moveant, sum certus assumpturas vos
mores alios, eritis namque contra peccata vigilantio-
res & contra vitia fortiores, ut enim in Proverbiis *c. 1. vers.*
loquitur Salomon: *Frustra jacitur rete ante oculos* ^{17.}
pennatorum. Imò & illa declinabunt vos, excita-
tâ namque familiâ fures fugiunt, qui eâ dormiente
obrepunt. Eritis etiam in actibus virtutum fre-
quentiores ac ferventiores: de Christo in Mon-
tem, ascendente ut oraret D. Lucas: *Facta est, c. 9. vers.*
dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus ^{29.}
albus & refulgens. Sic & animæ vestræ species altera
fiet, aliæ cogitationes, alia desideria, aliæ intentio-
nes, alia verba, alii actus, alii mores, alia denique
vita: mutabit interiora & exteriora: induet novum
splendorem virtutis & sanctitatis. *Meditatus sum Ps. 76.*
nocte cum corde meo, & exercitabar (juxta D. Au- ^{vers. 7.}
gustini lectionem, *scrutabar*) & *scopebam spiritum* *in com-*
meum. Scoparum notus vobis usus. *ment. ad*
hunc lo-
cum.

De Necessitate Meditationis.

Constat ex sacris Literis duos à Deo Israëlitis
 è servitute Ægyptiaca liberatis in terram pro-
 missionis datos esse Duces, Moysen scilicet & Aaro-
 nem, Moysen Legislatorem & Aaron Sacerdotem:
 iisdem indiget Anima è seculi conversatione ad perfe-
 ctionem ingressura adumbratis in Moyse & Aaron,
 Meditatione scilicet & Oratione, Meditatione quæ
 doceat quidnam declinandum & quonam prope-
 randum, Oratione quæ vires ad ambulandum ac-
 quirat. *Illam viam ostendit, ex S. Bernardo, ista dedu-
 cit, meditatione agnoscimus imminetia nobis pericu-
 la, oratione evadimus.* Utilitatem Meditationis pro-
 posui in Parte præcedenti, in hac autem agam de
 ejusdem Necessitate, & ut illam ibi Virgini utilem
 dixi, eam hîc eidem ostendam summè necessariam:
 est namque famula Dei, nostratum idiomate dicta
een Maeght / non ob solam carnis integritatem,
 sed vel maximè quòd ex vi Status obstricta & manci-
 pata sit famulatui divino: nonne necessarium, ut quæ
 famulantur aliis, sæpiùs agant cum iis quibus ancil-
 lantur, ut discant quid velint quidve nolint? aliorum
 imperium & sensum sequantur necesse est, quæ iis se-
 se elocarunt: idem in Virgine locum habet: monet
 proinde Autor Epistolæ ad Demetriadem: „ Prima
 Virginis cura primumque studium sit scire volun-
 tatem Domini sui, & quid ei placeat, quidve dis-
 pliceat, diligenter inquirere, ut secundum Apo-
 stolum *rationabile* Deo reddat *obsequium*, totum-
 que

*Serm. 1.
 de S. An-
 drea.*

*Epist.
 142. c. 2.
 apud Au-
 gust.
 Rom. 12.
 1.*